DISSERTATIO MEDICA

De

ATONIA

Schwachheit der Glieder/

Quam,

Divino indultu,

PRÆSIDE

JOHANNE DANIELE DORSTENIO,

Medicinæ Doctore ejusdemque Professore Ordinario.

Placidæ φιλιατρῶν discussioni submittet

Ad diem 5. Augusti, horâ 9. mat. in Medicorum Auditorio

CHRISTIANUS Schnabel/

Marburgensis Hassus.



Marburgi Cattorum,

Typis JOHANNIS HEINRICI STOCKENII,

ANNO DOMINI M DC LXXXII.



I.

QUemadmodum communis partium organicarum s. n. est affectus Tonus, ita communis p. n. earum est affectus Atonia.

II.

Tonus est robur partium organicarum consistens in sana & legitima fibrarum constitutione naturali;

III.

Hinc omnium istarum, quæ alias perperam facultatibus expultrici, retentrici &c. adscribuntur, operationum, quæ per motum fiunt, fundamentum est.

IV.

Ita ut fibræ restrictæ expulsioni, laxatæ retentioni sufficiant.

V.

Atonia, vulgo Schwachheit der Glieder / est, quando fibræ secundum suam substantiam saltem materialem molliores factæ, laxantur ita, ut vix aut difficulter in debitum suum tonum & robur redire queant, sed pars laxa & flaccida remaneat, & operationes vel cessent vel plus minus debiles fiant.

VI.

Hinc distinguendum inter substantiam partium organicarum materialem ceu fundamentalem, & huic superinstructam conformationem mechanicam seu formalem; &

VII.

Ratio-ne istius materialis substantiæ communis est affectus omnibus partibus organicis seu mechanicis.

VIII.

VIII.

Fundamentum utriusque hujus affectus sunt fibræ, utpote in quibus robur & fundamentum motus residet omnium partium organicarum.

IX.

Fibris enim vel simplicibus vel coagmentatis, unitis certoque modo conformatis fiunt partes organicæ.

X.

Fibrosæ istæ partes ex seminis colliquamento in utero delineantur & formantur.

XI.

Talis Atonia est in ventriculo, inprimis potorum & heluonum, quia largâ quantitate vinum vel cerevisiam vel maximè triticeam (Breyhan) ingurgitant; unde tandem fibræ, quæ quotidiè ferè nimis extenduntur laxæ & flaccidæ remanent, nec pristinum recuperare tonum queunt:

XII.

Hinc est, quôd de debili postmodum ventriculo conquerantur. Sie hätten ein schwachen Magen. Etiam

XIII.

Ventriculi Atonia permultorum malorum mater existit; vitia enim primæ concoctionis non corriguntur in secunda multo minus in tertia.

XIV.

Talis quoque Atonia est in vesica, quando ex diuturniore urinæ retentione vesica extenditur, ut ex læsione fibrarum excretio impediatur.

XV.

Talis quoque Atonia est in hepate, quando textura ejus organica i. e. columnæ pororum & partes ejus fibrosæ ita laxantur, ut secretio bilis aliarumque partium & legitima

purificatio

purificatio ſanguinis fieri nequeat; Hinc eſt quod dicatur, der hat eine ſchwache Leber.

XVI.

Talis quoque Atonia eſt in muſculoſis alijsque partibus nutriendis; unde vel tranſitus humorum circulantium, vel lymphaticarum aliarumque humidarum & mobilium vel per inſenſibilem transpirationem vel in nutrimentum aliâs abeuntium, occluditur; unde varia ſymptomata oriunda.

XVII.

Cauſæ hujus Atoniæ ſunt (primò) nimia extenſio & humectatio ſeu irroratio fibrarum partis organicæ: Extenduntur autem vel irrorantur à nimio potu vel lympha catarrhali.

XVIII.

Secundo, defectus ſpirituum animalium; ſpiritus enim animales radioſo ſuo influxu tonum fibrarum juvant, & quibus deficientibus Atonia oritur.

XVIIII.

Fibrarum Atonia ex nimia relaxatione optimè curatur adſtringentibus, quæ inter martialia primatum ducunt.

XX.

Idem præſtant aluminosa & terrea, ut & vegetabilia adſtringentia, ſicuti ſunt tormentilla, biſtorta, &c. unde confortantia optima ſunt, modicè ſimul adſtringentia.

XXI.

Atonia ex lympha catarrhali curatur, blandis ſudoriferis appropriatis, qualia ſunt ſaſſafrata, ſuccinata & myrrhata.

XXII.

Atonia ex ſpiritibus deficientibus curatur removendo cauſam & augendo ſpirituum animal: influxum, per volatilia oleoſo-aromatica.

F I N I S.